... pater et Georgius filius.

Borkowski Michael Memoriae aeternae


VIRTVS
IOANNIS.
&
GEORGII.
PATRIS. ET. NATI.
RV DOMINARVM.
DVSIATSKI.
VIRTVTI.
FAMÆ.
IMMORT ITATI.
IMMORTALITAS
FAMA
CRESCIT ET CLARESCIT

I.

22

Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: bene mori, aut male, ad rem pertinet: bene autem mori, est effugere male viuendi periculum.

Seneca Epist. 70.

MEMORIÆ ÆTERNÆ

MAGNIFICI ET GENEROSI DOMINI

D. IOANNIS RVDOMINA DVSIATSKI,

TRIBVNI BRASLAVIENSIS

Anno D. M. DC. XXI. XIJ. Kal: Aug

Ætatis Anno LXXVIII. Vita functj.

ET

FILII EIVSDEM

NOB: ET GENEROSI DOMINI

D. GEORGII S. R. M.

AVLICI & DAPIFERI

In acie, bello Turcico, sub Chocimo in Valachia, pro Patria, & Rep. occisi.

Anno D. M. DC XXI. VII. Idus. Sep. Ætat. A. XXX.

INFVNERE EORVNDEM

A. D. M. DC XXII. IX. Calend. Martij

DEDICABAT

MICHAEL BORKOWSKI

S. Theol. Auditor in Acad. Vilnensi.

VILNÆ in Typographia Academica S. IESV.



AD INSIGNIA GENEROSÆ RVDOMINARVM DOMVS.

VIderat è bello reducem Bellona Gradiuum
Picta triumphali plaudere scuta manu.
Viderat & sculptum clypei super æquore stemma,
Et Rudominæas prælia flare tubas.
An mihi frater (ait) Mars, an RVDOMINA videris?
Mars cui tergeminæ reddidit ore Tubæ.
Thracius, Odrysius, Gortynius ante vocabar,
Nunc RVDOMINÆVM iure vocare potes.

HVc Brontes, Steropesq; mihi, Mars (inquit) adeste:
Et noua Dædaleâ fingite scuta manu.
Accelerant iussum, Brontes, Steropesq; laborem;
Artificiq; nouant Dædala scuta manu.
RVDOMINÆA cauo finguntur stemmata scuto,
Inq; suis medius dux RVDOMINA notis.
Tunc Mars: si paribus nuper bellauimus armis;
Quid refert an Mars, an RVDOMINA vocer?

TRes nuper Diuæ: Bellona, Diana, Thalia,
De RVDOMINÆIS dimicuêre Tubis.
Nostra Tuba est Bellona (inquit) Tuba nostra Diana est,
Hæc (inquit) potius nostra, Thalia, Tuba est.
Audijt, & Getico Mauors subrisit ab Hęmo:
Et celeri, vocum prælia, voce scidit.
Vestra Tuba est, Bellona, inquit, Tuba vestra, Diana est:
Vestra, Thalia, Tuba est; sed RVDOMINA meus.

CErne Tubas, sed cerne Tubas sine carmine Mauors:
Nimirum lætos dedidicère sonos.
Cerne senem, sed cerne senem sine carmine cygnum:
Nimirum functo collachrymatur hero.
Ipsa tamen Dominum laudare silentia possunt;
Atq; verecundus laude carere Pudor.
Quid Tuba, quid noceat laudis sine carmine Cygnus?
Dum tacet illa, sonat; dum silet iste, canit.

OBYT
M. D. IOANNES RVDOMINA D.

SED ILLVM
Virtus ſuper aſtra locat.

QVemcunque mendax fama QVIRITIVM,
Et dedicatis denſa clientibus
Corona, iuratiſque ſtipat
Imperij comitatus armis,
Quamuis Lacæna picta ſuperbiat
Sub veſte tellus, & famulantium
Iuxta lacertoſæ cohortes
Et clypeis radient, & haſtis.
Nec peruicacis ludibrium Deæ,
Nec concolores conſilio Dolos
Vitabit, aut circum ſonantes
Nobilium fugiet tumultus.
Nec concitato pectoris impetu.
Nitente mentis Remigio, Soli
Ignarus hæres, innatantes
Cæruleum per inane campos
Peruadet vnquam. quippe volubili
Negotiorum puluere ſordida
Gliſcente curarum tumultu
Mens humiles remoratur alas.

At

At quem supernis sedibus intulit
Mors, & prophanis præcipitem procul
Furata terris; quò solutus
Prepetibus RVDOMINA pennis
Exerrat! ohe quo per inhospitas
Afflata leni pectora flamine
Nubes, inaccessosq; tractus
Et superas agit inter arces!
Ambagiosis ille volatibus
Præuectus vdas terrigenum domos
Cætusq; vulgares, supernæ
Non humilis venit hospes aulæ.
Illum ministrâ RELLIGIO manu,
Et delicato pectoris essedo
Euexit inconcussa VIRTVS
Et superis dedit ire campis.
Exstructa quondam celsa fauentibus
Delubra Diuis munificentia
Pensauit auratis Deorum
Hospitijs, famuloq; cœlo.
Hîc vel corusco se propè syderum
Curru locabit, vel propior DEO
E nube rectiuis curuli
Sub pedibus sua fata cernet.
Regumue toruos subter acinaces,
Et regiarum sidera frontium,
Et tot Tyrannorum videbit
Suppositos radiare fasces.
Et hæc stupebit quæ propiùs micant
Obscura crasso serpere nubilo,
Lateq; casuras per vrbes
Ora sagax oculosq; ducet.

OCCVBVIT
G.D. GEORGIVS
RVDOMINA

SED
Decorum est pro patria mori.

QValis trisulci fulminis impetus
Quem Dædaleis fæta vaporibus
Pinguemue pabulata terram
Per medias rapit ira nubes,
Fastidioso cum semel excidit
Immurmurantum carcere nubium,
Per regna ventorum, per auras,
Et dubias Aquilone siluas,
Per arua latè per iuga concito
Grassatur igni iam capitis minor
Aut Æmus, aut percussa Calpe
Non humiles posuêre fastus.
Interq; diras Dux equitat faces
Communis omnes per populos Timor,
Et pone strages, & supino
Deproperata ruunt tumultu
E nube Fata, non sine montium
Clamore, longus quem glomerat fragor
Volentis audiri ruinæ
Et volucrum furiæ Notorum.

Talis superbis irruit hostibus
Mortis decoro puluere sordidus,
Et per Musurmannos honestam
Explicuit RVDOMINA pugnã.
Illum futuræ LAVDIS, & inclytæ
Mercede Famæ GLORIA mentium
Regina nundinata morti
Per medios rapuit Gelonos.
Quam pone VIRTVS, & DECVS, & comes
Iniuriosæ RELLIGIO necis,
Per tela, per formidolosos
Quadrupedantũ onagrorum hiatus
Exercitati militis, obuio
Venale fato prostituit caput,
Sed visus haud venire paruo
Magnanimus RVDOMINA fato.
Nam dum duelli lætior, hostica
Opprobriorum murmura vindice
Excussat ense, barbararum -
- Immortuus aggeribus cohortum
Præsecta tandem colla volubili
Lapsu reclinat. sed famulâ prope
DECVSq; præsignisq; VIRTVS
Semianimem subiêre dextra.
Mox expeditis corpore manibus,
Depræliatrix GLORIA siderum,
Occurrit & fuluo recliuem
Ire iubet super astra curru.
At FAMA latè tergemino Tubæ
Longæua cornu sæcula personat:
Io triumphe, viuit Astris
Ille meus RVDOMINA viuit.

In hac Oratione ubi laudatur liberaliter in [illegible] [illegible] [illegible] ad S. Ignatiũ [illegible] domicilia ex mei paupertate, Virginũ &c.

AD

MM.^{os} & GG.^{os} DD.^{os}

IOANNEM, PETRVM, & CHRISTOPHORVM RVDOMINAS DVSIATSKI &c.

Parentis Fratriſq; funere mœſtos Fratres.

NOn ſatis fuit ad fortunæ acerbitatem MAG. ac Gene. Domini, optimo patre, per mortem nõ quidem ei immaturam priuari, qui tam diu vixit, donec octo ſupra Septuaginta annorum ætate feſſus, vitam hanc fragilem cum immortali commutaret: verum vobis quem immortalem eſſe cuperetis nimis acerbam nimis luctuoſam: Niſi eodem prope tempore GEORGIVM Fratrem ad res præclarè bello gerendas natum, cui magnæ ſpes patriæ, & nobiliſsimæ familiæ veſtræ innitebantur, in Turcico bello fortiter pro aris & focis dimicantem amitteretis. Quod ſi eius fuiſſet ætas prouectior, ferendum id eſſet mitius, quod vel neceſsitas ratum eſſe, vel natura commune voluiſſet; Sed cũ immatura mors iam cõceſſæ maturitati virtutis bellicæ inuiderit, virtutem interemptam doletis, mortem intempeſtiuam, non cauſam mortis deploratis. Ergo non potuit vnus caſus orbatam domum affligere, quin alter ſtatim in recenti vulnere feriret, vt patris mortem filij occaſus ſubſequeretur. miſeram ſanè humanæ vitæ conditi-

onem

onem, si quæ interdũ spes in aduersis solatij relinquitur, illã oportet nouis mœroribus & lachrymis obrui, ne soletur. Incerta vota! lubrica, & ludicra mortalium sortis curricula! histrio Polus ad verum dolorem imitandum, filij ossa & vrnam in scenam fertur intulisse ipse lachrymis sordidatus pater: At domi vestræ, mors instar histrionis ludens tragædias, in hoc vitæ humanæ amphiteatro, tumbam patris, cum tũba filij ad scenam effert sepulturæ, quo quis potest esse dolor verior? Quare merito lachrymis omnium vestrum madent oculi, merito atrati squallent parietes, merito cognatorum, affinium, cæterorum amicorum, qui ad hanc sumptuosi funeris pompam cohonestandam pullati confluxerunt, gemitus atq; suspiria exaudiuntur. Coniunx enim marito charissimo, mater item filio, Patri filij, & fratri ijdem fratres, dupli ci quasi cõsternati dolore iusta persoluũt, atq; æqualem amori dolorem reddere desiderant. Proinde veterem ego sapientissimæ Romæ secutus consuetudinem, funebri hac laudatione laudatissimo Patri vestro, necnon fortissimo fratri consectata, dolorem vestrum fortassis, non mediocriter leniam. si prælatis maiorum vestrorũ imaginibus ostendero, non deesse vestræ domui virtutem, non deesse fortitudinem bellicam velut hæreditariam, duo scilicet pulcherrima nobilitatis ornamenta, quæ vosmet ipsos suomet fructu Mag. ac Gen. Domini, in hac tristi calamitate reficiant. Fateor tamen, Familiæ vestræ multo plura inesse ornamenta, vel virtutum, vel rerum benè pro Repub. gestarum, quàm aut à me dicendo exæquari possint, aut à liuido quopiam oculo videri. Summũ quoddam fortunæ bonum esse nobilitatem, Sapientissimi post hominum memoriam censuerunt. Nobilitas

litas enim est aureæ libertatis parẽs, Rerumpublicarum custos, & propugnatrix, testis meritorum, honoris templum, diuitiarum atq; earum rerum, quæ in vita homini charissima esse solent, firmissimum domicilium, splendor quidam illustris, quo supra vulgus, tanquam sol vltra minora sydera, latius in patrio cœlo ad notitiam vniuersorum effulgemus. At qui necessum est illam ipsã nobilitatem cum virtute esse coniunctam, ijsq; ornamentis insignem, quæ nomini suo verè respondeant; alioqui cachinnos Satyricos ille nequaquam effugiet, qui nihil fortiter, nihil piè in patriam, nihil temperatè vnquam egit, solam, vt veteri vtar prouerbio, nobilitatem in astragalis habẽs Codro potius, quàm Spartha generosior.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
sanguine censeri?
Nobilitas sola est atq; vnica virtus.

Quapropter seclusã virtute monstrũ quoddam erit, atq; portentum exitiale, ad omnem perniciosam licẽtiam, frena relaxans; nec laudem vllam apud æquos rerum æstimatores merebitur nobilitas. Pręclarè id, vt cætera, Romani comprobarunt, qui ab Arcadibus accepto more, Equestrem ordinem Lunæ effigiem in calceis gestare voluerunt, cum aliàs bullam auream, cordis figura, pectori appensã prætulerint. Quia nimirum ea nobilitas, quæ lucem à maiorum Sole acceptam rebus virtute gestis, non reddit illustriorem, inconstantiæ subiecta aleis, in fædas flagitiorum Eclypses, cum tempore plerumq; pedibus proculcanda occidit. Secus illa, cui cordi est, bene merendo de publico bono ampliorem indies auitis honoribus facere dignitatum accessionem, omni auro euadit carior. Eo igitur latior patet mihi campus ad laudandum à no-

 bili

bili prosapia defunctum fœlicis recordationis IOANNEM RVDOMINAM Tribunum Braslauiensem Parentem vestrum, & simul boni Parentis, optimum Filiũ, vobis Fratrem, GEORGIVM, Sacræ Regiæ, Maiestatis Aulicum & Dapiferum, in Valachico bello nuper ereptum, quo plura lucent ornamenta propria virtutũ, Gloriæ & Famæ innixa maiorum, quam illi industria, constantia. fortitudine bellica, rebusq́ strenuè gestis pepererunt. Non commemorabo illa, quorum vetustissima extat memoria, vt Primores gentis vestræ, partim in aulis Magnorũ adhuc Ducum Lithuaniæ, partim in Regum Poloniæ, summa cum laude ab obsequijs fuerint, vt nulli motus bellici indicti, iam propemodum ab vno sæculo, quin RVDOMINARVM arma maximo fortitudinis argumento comparerent. Neq́ ea commemoro quæ non parua sunt vere nobilitatis censenda indicia, Principum virorum familijs adscribi, communibus dignitatis, & immunitatis gaudere tabellis, ijsdem illustrem & esse, & vocari insignibus. Nonne Illustrissimorum Ducum RADIVILORVM Tubæ illæ, quibus per orbem terrarum illi ipsi inclaruerunt S. R. I. PRINCIPES, vestræ Alę Aquilinæ additæ sunt, vt perpetuo signum æternæ erga Domum vestram, Rej militaris obsequijs clarissimam, propensionis, quę omni inuidia superior, ad Famam immortalem, de qua nulla ætas conticescat, exhiberent? Eos tantum recensebo gloria militari clarissimos viros, Regiarum cohortium in Moschouia & Liuonia Ductores, atq́ qui ob res fortiter fœliciterq́ bello gestas, honoribus, tum â Sereniss. Regibus, tum â Repub. donati & exornati, spirant adhuc in vobis posteris, atq́ in hominum memoria viuunt sempiterna. THOMAS RVDOMINA Tenutarius

rius

rius Dougialisensis, Regiæ cohortis in Moschouia præfectus, LAVRENTIVS item Capitaneus Hiberpolensis, germani Parentis vestri; quorum alter iuuenilem ætatem in Regia SIGISMVNDI III. aulicus transmisit, & in Sueciam vsq; terra mariq; secutus, postmodum, in Liuonia, cohortis itidem Regiæ Ductor: quanta vulnera, Patriæ amore, sustinuerint, quas hostium acies retuderint. quas ærumnas propter Rempub. tolerauerint, vnde deniq; LAVRENTIO mors secuta est, testis est Moschouia, testis Liuonia; testis Patria. Quid dicam de Parente vestro cui frequētes atrati comites vltimas persoluūt inferias? luget extinctum equestris ordo militem, Patria ciuem, Nobilitas lumen: nonne & ipse maior & valentior viribus, armis & fortiter gestis primam à maioribus acceptam illustrauit Nobilitatem? quoties in Moschouia conflixit, quoties inuicto animo cū hoste congressus, campi illi ipsi illius testificabuntur magnanimitatem. Iam maturiori ætate, membrisq; alijs consenescentibus, sola virtus iuuenescere voluit, & quam gloriam armis, belloq; sibi pepererat, eandem Religione, pietateq; in Deum auctiorē esse voluit. In oppido Komaie Basilicam sumptibus non exiguis, opere lateritio construxit, facultatibus annuis dotauit, & reliquam suppellectilem, Diuinis designatam vsibus addixit, & inscripsit, adeoq; pietatis exercitamenta promouit, vt nullius prædij possessor creatus sit, quin prius à sacris, aut priuatim, aut publicè, ædibus erectis prima fundamēta auspicaretur. ratus partes viri probi ac Christiani esse, non tam vt imperet subditis, quam vt ijdem Diuini Numinis assuescāt parere mandatis & imperijs, beatiusq; longe ibi omnia cessura, vbi à Deo principium rerum omnium caperetur

retur. Accedebat ad Religionem liberalitas, qua diuitiarum affluentiam, vbertatem opum, in domicilia Deo dicatorum cætuum, in obsequia Reipub. in ornamenta Familiæ suæ, in commoda egentium partiebatur, quocirca omnibus charus, molestus nemini, eam famam liberalitatis, humanitatisq́ᵹ, ac reliquarũ virtutum, quæ ad bene beateq́ᵹ viuendi rationem, facem præmonstrant, consecutus est, quæ iure merito hæredibus & solatio sit, & incitamento. Quid quod ea animi submissio, viro seu aggenita, seu comparata fuit vt maiori animo despexerit honorum titulos, quam alij eisdem studeant adipiscendis. Tribunus in Districtu Braslauiensi fuit, idne satis? sane virtuti satis, ambitioni parum, qui momentaneis allecti huius æui circulis, vitam in continua cupiditate rotant, ijs quicquid dignitatis, & honoris addideris, non sufficit, qui vero meliorem sectantur virtutem, ij vmbratiles honores, etiã dum parui sunt, metuunt, ne magnarũ deuoluant præcipitium solicitudinum, M. D. IOANNES RVDOMINA Tribunus fuit duntaxat quia voluit, maiores honorum apices non accepit, quia noluit; quid euim tanto viro deesse in virtutis, opumq́ᵹ copia potuit, nisi ille sibi ipsi, ne præesset, dum nulli vult obesse, prodesse autem compluribus hac viuendi mediocritate. Sed iam ad vos festinat Oratio mea boni Patris optimam prolem, cui quia plurimum debere vos recogitatis, incredibili dolore ob mortem conflictamini, atqui hæc animorum vestrorum deliquia, sũt meliora solatij præsidia. Ille quod in societate humana beatum iudicatur, sorores vestras, suas Filias optimis ad omnem pietatem, & bonam beatamq́ᵹ vitam moribus â Matre optima institutas, è primaria Nobilitate viris lectissimis, qui ornamento domui vestræ

esse

esse possent, dum arctissimo necessitudinis vinculo, vestro sanguini illigantur, feliciter omnes in Matrimonium elocauit: primogenitā in Sanctimonialium cænobium Deo oblatā, vbi Religiose viat transacta, ad sponsi æterni thalamum sanctimonialis commigrauit. Ille vos ipsos quos Patriæ genuit, à teneris, vt aiunt, vnguiculis rectè viuendi præceptis, quâ in liberaliū Artium Gymnasijs, quâ ad exteras Regiones p̄ Germaniā, p̄ Italiā magnis suis sūptibus informādos submisit: & iam probè exculta indole hac vestra totius honestatis capaci; in Serenissimi Regis aulam Magnificè tradidit. Deniq; maturos Reipub. statim ad castra expediuit. Vere illa vestræ domui laus debetur, quam Druso Germanico bonus detulit Poëta.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

quæ semper, præsidia Reipub. fortissimos subministrat viros: Fabios vos ego videor mihi videre alios, aut Scipiones, ad defensionem Patriæ natos. Et vt de singulis aliquid dicā, quo maior laus PATRIS, cuius tā præclari estis Filij elucescat. PAVLVS Frater vester, fælicis memoriæ, in Liuonia annis retro actis militans, dignissimus diuturniore vita Adolescens obijt. Tu Mag. ac Gener. D. Dn̄e S. R. M. Aulice, & Dapifer, atq; Tribune Braslauiensis, in Liuonia & Moschouia bellator magnam transegisti ætatis partem, magnam rei militaris bene gerendæ laudē comparasti. Tu M. ac G. D. Dn̄e S. R. M. Aulice & Secretarie, Propalatine Nouogrodensis &c. &c. cum nomine Paterno, Patriam æmulatus virtutem, proxima æstate cū DD. GEORGIO atq; CHRYSTOPHORO ante iam in Liuonia milite, minori-

bus

bus natu Fratribus ad militiam profectus, cohortem in Valachiam lectissimæ Nobilitatis eduxisti. Vnicus Frater militiæ creditus tum non erat, quem tamen eodem tempore motus bellicus in Liuoniam euocauit; ita omnes sago induti sanguinem pro Patria, pro Repub. pro aris & focis profusuri cum apprecatione Patris profecti estis. In Valachia autem quam vberem laudum segetem, duorum mensium spatio collegistis, loquuntur omnium literæ, omnes vno ore prædicant cõmilitones inter cæteros fortissimos heroes virtutem vestram. Voluebatur Mensis Septembris dies septimus D. Virginis natales ferias antecedens, quo maxima gloria gentis nostræ, ac prope inaudita fortitudinis exempla, ad memoriam posteritatis sempiternam enata sunt. Stabant vtrinq; centuriatæ cohortes, emicabant eleuata signa, illa lunis, hæc crucibus decora, elidebantur machinæ bellicæ, solemq; fumosæ nebulæ eripiebant; it clamor cœlo hastæ præpilatæ fulgurant, exoritur, clamorq; virũ clangorq; tubarum. Prosiliunt primo Marte quaterna vexilla, Imperatore Illustriss. Comite IOANNE CAROLO CHODKIEWICZ Palatino Vilnensi ac Supremo copiarum Duce, tot victorijs rebusq; præclare gestis æterna dignissimo memoria: numero longe impares, animo vero & superiores & victores nostrates, certatur incerta fortunâ, & euentu. Hostis vrget, nostri impetum & morantur & retundunt, illi multitudine inualescunt, nostri ope & præsidio Dei præualent: iam barbarus Othomanides, sanguinis Christiani appetentissima bellua, spe, viscera Regni Poloniæ occupauerat, sed Numine propitio tanta clade accepta propudiosè decessit arena, vt nusquam fortiter magis, minus vero commodè, aut oppugnauerit, aut pugnauerit. Sola nox tenebris diremit

remit litem, nam cum nostri exiguam illam exercitus manum, igneis hostium glandibus, missilibus, ferro eneruatam, & absumptam ominarentur, tandem sanguine, & cruore barbaro sordidati, suis, victores incolumes sunt restituti. In hoc sanctissimo pariter ac pulcherrimo opere, vbi de fortunis, de vita, de libertate omnium nostrum agebatur, de Orthodoxa Religione, & vt paucis rem concludam, de summa rerum Orbis Christiani disceptabatur, in hoc inquam pulcherrimo opere tu ipse vir fortissime Dñe Propalatine, vexillum tuum cum aliorum tribus explicuisti, cohortem tuam ordinasti, cum hostibus acriter conflixisti; Consule vulnus ipsum manui inflictum (vnde tibi immortalis gloriæ fructus creuit) quem te id temporis virum præstiteris, quo animi robore, qua contentione, quibus corporis viribus pugnaueris, testantur ipsi cohortis tuæ Cõmilitones, qui tua cohortatione, tuo exemplo incensi, laudem maximã in illa pugna sunt adepti. CHRISTOPHORVM Fratrem nonincruentum ex acie redire conspexisti; decem præstantissimos athletas tuo vexillo occubuisse indoluisti; GEORGIVM Fratrem singulari virtute, omnibusq; ad res bellicas ab ipsa natura comparatum dotibus, in acie mortem decoram opetijsse dolens audiuisti; & tanquam alter pius Æneas paterno prorsus affectu, lachrymas amoris supra hunc Pallantem tuum effudisti.

O dolor atq; decus magnum rediture parenti,
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert,
Tu tamen ingentes Turcarum linquis aceruos.

ô GEORGI Frater optime, ita Tyrocinium militiæ tuæ morte veterani militis cito conclusisti?

Haud ignarus eram, quantum noua gloria in armis
Et prædulce decus, primo certamine possent.

 Vos

Vos ego Valachorum agri, hostilesq; manus, testes eius fortitudinis in hac pugna, vos etiã cohortes atq; Comilitones appello, qui GEORGII RVDOMINÆ animi fortitudinem eximiam, alacritatemq; in illo conflictu admirabili vidistis, quando incredibili ardore, omniq; viriũ contentione in illud tot milliũ armatorum chaos, Curtio similis, equo concitato irruit, credebat non alia re hiatum tantum, qui vniuersæ patriæ iam iam interitum minabatur, quam illa tantummodo, qua equites nostri plurimum valerent, virtute videlicet bellica, armis, cędibus, vulneribus, sanguine, atq; ipsa demum vita compleri potuisse. Ille P. Decij egregiam æmulatus audaciam, caput suum pro salute, vita, incolumitate Reipub. deuouit, atq; protinus in medium hostiũ vix numerabilium agmẽ, Patriæ suę salutem, sibi mortem quæsiturus irrupit, factaq; notabili in hostibus strage, plurimis confossus vulneribus, in ipsa victoria & animi, & generis nobilissimus Adolescens supercorruit, vt corpore suo viam in castra nostra (quæ cæco impetu toties Tyrannus Christiani sanguinis sitiẽtissimus frustra oppugnauit) hostium legionibus, vel retardaret vel præcluderet. Fortunata mors, quæ naturæ debita, pro Patria est potissimum reddita; te ego verè Patriæ natum GEORGI RVDOMINA iudico, qui dulce & decorum p Patria mori non dubitasti. Tu miles Patriæ, iugulo & sanguine, iam iã lapsanti subuenisti, tu miles Christianus Religionis & Crucis amator, pro Fide, Religione, Cruce pulcherrimam animam posuisti. Beata illa pugnæ alea, quæ tali morte conclusa est, beata mors quæ immortali vitæ principium dedit. Hoc tuum Virtutis opus nulla vnquam obliuione eorum qui nunc sunt, nec reticentia posterorum sepeliri vnquam poterit. Erigentur tibi statuæ, erigentur arcus

Trium-

Triumphales, Trophæa excitabuntur fortissime GEORGI RVDOMINA, simulq; omnibus fortissimis tuis Cõmilitonibus, qui vnà tecum sanctissimè occubuerunt: quæ quidem, non dico, paria sint meritis vestris in Patriã, sed eorum partẽ aliquam adumbrent. Faciet spero grata Patria, faciet nobilissima Familia tua, tuo sanguine, tua morte multum ornata, faciet Respub. vniuersa sui defensoribus, q; Regina Artemisia Mausolo coniugi suo fecit; cui exiguum visum est ad testandum amorem suum erga demortuum Maritum Regem, exædificasse Magnificentissimum monumentum, vnum septem Orbis miraculorum; parum amplissima proponere Oratoribus, Historicis, & Poëtis præmia, qui coniugis sui laudes pleniori, vt aiunt, ore celebrarẽt; nisi etiam delibutos odoribus, & infusos aqua Mariti cineres in sua viscera condidisset. Seruabit profecto memoriam tui non domus tua tantum, sed Patria vniuersa, vna cum ijs qui tantæ gloriæ tibi comites fuerunt, in corde suo, atq; in visceribus amorem vestri, ad exemplum posteritatis Respub. tumulabit: prçter ea quæ virtuti debentur solita monumẽta: nec vlli futuri sunt Historiarum scriptores, Oratores, & vates, qui vbi ad Chocimense cum Turcis prælium VII. Idus Septemb. ventum erit, cum illis magnis nominibus, quorum recolent memoriã, GEORGIVM RVDOMINAM omnibus gentibus atq; sçculis non honorifice proponant legendum, qui non commemorent vestra vulnera, vestrum effusum ibidem sanguinem, duo Generosissimi Fratres IOANNES atq; CHRISTOPHORE RVDOMINA: qui silentio prætereant Parentem vestrum qui tales Reipub. genuit filios: Restat Mag. atq; Gen. Dñi. quoniam præclarè cum Parente vestro,

præclarè etiam cum Fratre Diuina prouidentia, ac voluntate actum est, vt in mœrore locus solatij tribuatur. Ille enim præterquam, quod satis siue ad gloriam, siue ad facultates vobis comparandas, siue ad eam fælicitatem quam ex sobole atq; nepotibus Parentes percipere desiderant, Magno naturæ, magno fortunæ vsus beneficio, ita vixit, vt sperandum sit, quem tot virtutibus laudatum nouimus, quem supremo die Diuinis Sacramentis ritu Catholico expiatum scimus, qui testamento legatis, ad omnes ferme, quotquot commorantur Vilnæ, Religiosas Familias, ad multa templa, pijs largitionibus, tot Orationes tot sacrificia sibi pie mercatus est, eũ recepisse iam præmium virtutum ac rectè factorum, in illa Beatorũ Patria, quò sua quemq; virtus attollit; Vobis Matrem, Vos Matris orbitati solatium & præsidium relinquens. Hic licet parum vixisse credatur, si ætas annorum triginta spectetur, tamen quia breuitatem vitæ, immortali virtute, & gloriæ diuturnitate compensauit, tam ob alias dignas Christiano homine virtutes dum viueret, quam ob hanc gloriosam mortem cui pridem quasi præscius optime sese tum salutaribus Mysterijs Ecclesiæ, tum pijs DIVÆ ANNVNTIATÆ Vilnensis Congregationis, sub cuius patrocinio studiosus militauerat, legatis comparauit, cœlo maturus est iudicatus.

Dixi.

ÆTER-

ÆTERNA MEMORIA PATRIS NATIQ. MANIBVS.

NOn purulentis oblita sordibus
Edax VETVSTAS his penetralibus
Latè superbit, sed perenni
Mnemosyne solio recumbit.
Vitæ rependit præmia traducis,
Asprisq; soluit pensa laboribus,
Et quas frequentato dolore
Indigenæ meruêre palmas.
Pacatus arces iam Genitor capit,
Quas, destinato limite, laurea
Pax sæpsit, & confasciauit
Turriferos apices oliua
Hic pessulato vox vlulantium
Inhæret antro, nulla penatium
Lamenta, nec tanto profusi
Hospitio gemitus reclinant.
Ciues eburnis aurea barbitis,
Lusuq; mulcent sidera, pars choris
Indulget æternis, sonantes
Pars cytharas digitis pererrat.
Ales triumphos sic Palamedia
Gyrat, gelatæ quando hyemis rigor
Discedit, & sese ligustris
Prata superbificis colorant.

Æthram ſtupentem tunc modulatibus
Illectat, illi ſilua ſequacibus
Conis remugit, dupliceſq;
Vnum opus accumulant lepores.
Patri iugatis greſſibus, additur
Comes ſerenus Filius, Iſthmijs
Nuſquam triumphator palæſtris
Vulnere nobiliore fulſit.
Depurpurati vulnera corporis
Oſtentat ardens, hos Othomanicæ
Inquit fariſſæ permearunt
Funeris impauidos lacertos.
Hæc ignearum fulmina glandium
Circum fremebant pectora, ſæpius
Athlera lunatas phalanges
Elicui metuendus haſta.
Volente donec Numine, tragulâ
Scrutatur artus Thrax truculentior,
Laſſumq; tot palmis paratis
Puluere funereo ſupinat.
Amore foſſas, Numinis, & Crvcis,
Nunc pando plagas, quis melioribus
Pugnauit armis, clariores
Aut tulit exuuias reuerſus.
Non ſarcinata pelle Lybiſtidis
Incingor vrſæ, non Nemeeio
Leone, quem, victor ſubegit
Amphytrioniades in aruo.
Crux velat armos. ſideris æmula
Crux, glorioſo vertice fulgurat:
Æterna, ſuſceptos labores,
Mnemoſyne, Cruce muneratur. (PA-

PARAENESIS PARENTIS AD FILIOS.

HÆres paterni ſanguinis, inclito
Fruſtra tumeſcit ſtemmate, Patrias
Ni muniat ceras auita
Indole, magnificiſq; factis,
Si quid Parentis mortua vox poteſt,
Cœli, per altas, non penetrabilis
Conſtanter eluctata moles,
Marmoribus tumuli refractis;
Audite Nati, Martia pectora,
Voces Paternas, quos pietas mea
Virtutis hæredes, ſimulq;
Cura facit Dominos bonorum.
Cultus Tonantis NVMINIS; & FIDES
Albata CHRISTI ſanguine, in intimis
Viuat medullis; & recenti
Euireat PIETAS colore,
Examinatâ IVSTITIES librâ
Senſus gubernet; ſupplicet vtile
Quoduis honeſto, hinc, hinc, decori
Ocius exiliunt honores.
Vicina Magno PATRIA NVMINI,
Intaminatis creſcat amoribus:
Inglorius nemo reuulſit,
Pro laribus iugulum, paternis.
Scribuntur Aſtris facta loquacibus
Iſthęc virorum; non cineres pauet
Infracta Virtus, nec iugantur
Terribiles animi ſepulchris. (EPI-

EPINICIVM VICTORIS.

TOrmenta diri fulminis æmula,
Clangor tubarum, murmura tympani,
Bellantium clamor virorum,
Et fragor, & gemitus cadentûm
Obtundit aures: ne lachrymabilem
Lessum, querelas neu miserabiles
Vir audiat, cæsus libenter,
Victima pro patriæ salute.
Non vult doleri flebilibus modis,
Campos patentes sanguine proprio
Qui decolorauit, cruentum
Laudis amore petendo fatum.
Compesce luctum; tristiciam, Notis
Portare, tradas, in mare Balthicum
Frater; dolorem, temperato,
Mæsta parens, animo retunde.
Vixisse longum est: pro patrijs focis,
Pro Rege, & aris, qui potuit mori,
Vernans iuuentus sic perempta,
Est niuibus potior senectæ.
Non vsitatis clarus adoreis,
Iam Dædaleo celsior alite,
Penna ferar famæ perennis
Longius, inuidiaq; maior.
Me sera libris posteritas leget;
Mortis decoræ post obitum mihi,
Reclusa donantur, beatæ,
Emerito, Prytanæa vitæ.


VIRTVS
IMMORTALITAS
FAMA
IOANNI
&
GEORGIO
RVDOMINIS
DVSIATSKI
AVO & AVVNCVLO
extinctis
Lachrymæ NEPOTVM
Acadd; vilnenn:
CRESCIT ET CLARESCIT

Magnus nos in vita charorum, numerus expectat auorum, fratrum, patruorum; iam de ſua immortalitate ſecuri de noſtra ſolliciti.

Cyprianus ſerm. de mortalit.

DIGNOS LAVDE VIROS FAMA VETAT MORI.

Labentis æui nemo fugacia
Diſpenſat exlex ſtamina, quemlibet
Fatalis Atropos laceſſit,
Et rigidum ciet ad tribunal.
Annoſa ſeu te præcipitet dies,
Seu prima vernet gratia temporis,
Trudet ſub æquales procellas
Prenſa freto ratis, abnuentem.
Fuſos aceruos ſæpè Proſerpina
Vno reliquit cuſpidis impetu,
Teloq; vibrato pauenda
Abdit humi iuuenes, ſeneſq;.
En vt ſeuera vel modo dexterâ
Tumultuoſos, aggerat impetus,
Et RVDOMINARVM ſepulchra
Agglomerat Patriâ dolente.
Nunc in IOANNEM torſit acinacem
Canæ ſenectæ deproperans decus,
Nunc in GEORGIVM reſæuit
Progeniem generoſiorem.
O lachrymarum reflua flumina,
Lux vna binum dat tumulo iubar,
Patremq; Filiumq; nexu
Vrna rapax ſociat perenni.

Vterq;

Vterq; fixâ lege coercitus
Decreta summi iudicis audijt,
Hic flore pullulante, canâ
Ille genas inarante rugâ.
Vtrumq; Virtus sed tamen enthea
Æternat, ætas postera debitum
Vtriq; MARMOR pollicetur,
Et memores Patriæ collossos.
Dicet IOANNIS pectus aheneum,
In perduelles cum rueret greges,
Moschumq; fudit fraudulentum
Ense metens, animosus Hector.
Dicet GEORGI martia spicula,
Dextræq; robur vindicis arduum.
Qui PATRIS æmulus, decorum
Triuit iter celerante plantâ.
Formidolosus cum furor vndiq;
Exæstuaret Bistonij Ducis,
Turcæq; lunatæ phalanges
In Lechicos ruerent penates,
Cordatus heros non tulit impias
Errare turbas, acer in hosticos
Illapsus assultus, cruoris
Imbre faces Patriæ repressit.
O digna pennâ pectora præpete,
Vobis Nepotum collachrymatio,
Bustisq; debetur relictis
Fama, decus, resonæq; voces.

Ioannes Biegański.

NVLLA

NVLLA EST SVPERÆ VIOLENTIA LEGI.

PAnde fores lachrymis, mæsti Dolor intime cordis,
Funereo Luctus proluat amne genas.
Vna dies Patrem tumulat, Natumq; recondit,
Et Pater, & Natus, iurè dolendus erit.
Ille Pater moritur, soboli qui perpete famà
Factisq; ostendit nobile laudis iter.
Qui monitu facili, dictisq; sequacibus, vno
Quærere Virtutum iussit amore vias.
Diuitijs pollens, sanctoq; potentior auro,
Æterno fecit surgere templa Deo,
Ceratis toties tabulis, & fascibus hostis,
Bullatas vidui spreuit honoris opes.
Sola cathenatos Virtus quæ ducit honores,
Nexibus adiunxit pectora iusta suis.
Non leuis Ambitio, & mendaci perlita fuco
Gloria, magnificos traxit ad ima sinus.
Ignes Religio longæuis prætulit annis,
Et quicquid Probitas iugis amare docet.
Nec Genitore minor soboles pro sede Paternâ
Purpureis tinxit membra strategus aquis.
Bellator petijt generosa GEORGIVS arma,
Hannibal infracto robore, Marte Milo.
Hem vix Threijcias ferrum contorsit in Hydras,
Dum capita ense petit, saucius ense cadit.
Ah quantus rueret per Moschica prælia miles,
Qualiter aut celeres funderet iste Getas.

In Gothicos iret quantâ ceruice Leones,
Seruaret Patriæ si fera Parca Virum.
Martia Maiorum spectaret turba Nepotem
Antiquis palmas accumulare nouas.
THOMAS ille foret, Patrię, LAVRENTIVS alter,
Qui Patrium auxerunt Marte fauente decus.
State pię lachrymæ, Patrem, Natumq; dolemus;
Verum tristitiæ, debet inesse modus.
Diphtera quod cœli æterno conclusit ab æuo,
Mergere decretum lachryma nulla potest.

Chrisostomus Mieleszko.

FOR-

FORTES BONIQ; PERENNANT.

QVid trux, ſuperbo, tranſigis Atropos
Feſtum, triumpho, lætitiæ diem?
Cur arrogantes, faſtuoſis
Das manibus, pedibuſq; plauſus?
Ergone tantum, liuida, gaudij,
Amæniori pectore concipis,
Vim Lithalorum RVDOMINAS
Fatiferâ cecidiſſe falce?
Durat caducum nil ſtabili pede,
Aſt vſitato labitur impetu:
Mortalis æui, ſorte verſat
Ambiguâ Nemeſis volumen.
Semel (fatemur) funeris omnibus
Trames terendus; ſerius, otius,
Omnes ad vnam puluerantis
Perſephones, properamus vrnam:
Verum virorum, neſcia fortium
Virtus, recondi mortiferâ ſpecu,
Æternitatis degit annos,
Perpetuâ coliturq; Famâ.
Viuit IOANNES, viuit & inclitus
Contemperatâ laude GEORGIVS,
Et laureatas ambo palmas
Empyreis referunt in oris.
Hic, pro Tonantis NVMINE Maximo,
Et Chriſtiani nomine dogmatis,
Pro Patriâ, Regiſq; vitâ,
Armiſonum coluit Gradiuum.

Formidolosos, pectore Martio,
Risit furentis Massagetæ globos,
Et contumaces Caucanorum
Messuit impauidus cohortes.
Depurpurantem sanguine Turcico
Campus liquorem Valachicus bibit;
Podoliarum fæta tellus
Tartarico tumuit cruore.
Maturus æuo, Nestoreo Parens,
Virtutis astro fulsit amabili:
Lumen Mineruæ, fama Phæbi,
Religionis Athlas Quirinæ.
Vterq; dignus perpete Gloriâ,
Vterq; dignus Cælicolûm throno,
Vterq; dignus sempiterno,
Colloquio Triadis potiri.

Petrus Biegański.

SERA

SERA NEPOTIBVS CVRA.

Hæccine, prŏ Superi, ſerorum cura Nepotum?
Hæccine, promiſſi vota ſecunda, ſenis?
Vno eodemq; die, longis & Auunculus annis
Dignior, & grandi funere, fertur Auus.
Cæca feroxq; ſimul, crudelis, & improba Parca,
Vel ſolum, ſcelus eſt grande, tuliſſe ſenem.
Parcere debueras; longis vt Auunculus annis
Creſceret, & grandi, grandior eſſet Auo.

Caſimirus Korſak.

SILERE NESCIA
Pallas ſociata Gradiuo.

Maturus, pleniſq; ſenex, iam fertilis annis
Extremum læto clauſerat ore diem.
Lætior infereâ Lacheſis prorupit ab æde,
Et vixiſſe bonum, ſparſit in vrbe, ſenem:
Non tulit inuidiam facti, indignata Minerua,
Iuſſit & in medio hæc verba tonare foro:
Scilicet hic moritur, caros qui Palladi Alumnos,
Qui Natos vobis, Martia Caſtra, dedit!
Ne metuas, viuæ, RVDOMINA, ſilentia, Famæ,
Nec Mars, nec Pſaltrix Muſa ſilere poteſt.

Fabianus Korſak.

TRICIPITIS INVITA FAVCE.

Quos cernis reduces LITVOS, prænobile ſtemma;
Eſt Othomanigenis nobile digma plagis.
Vidit, & inuidit venatrix perfida, LVNA,
(Dum creperâ ſtreperent, prælia dira manu)
In RVDOMINEIS decus hoc ſplēdeſcere dextris
Et rapere innumeris, auſa Cruenta, dolis.

C Marte

Marte ferox, contrà, dextraq́ GEORGIVS acri
Obstat, & in pulchram proruit vltro necem.
Hoc Patriæ (moriens inquit) deducite pignus.
Non tetigit nostras Turcica LVNA TVBAS

Hieronymus Korsak.

PATRVO MAGNO, SENI LONGÆVO.

Me miserum, cui sors sanctæ laudata senectæ,
Non siccat madidas, laude fauente, genas.
Hi non culpatam tollunt sine crimine vitam;
Hi memorant largas, in pia pensa, manus.
Longa perennati numerant hi lustra Parentis;
Innumeros, gaudent hi superasse, senes.
Sat Famæ vixisse ferunt, Patriæq́, sibiq́,
Vnaq́ concordi, vox stat in ore, SATIS.
Sit super, atq́ satis, quod Te vixisse putatur
Si SATIS est alijs. At mihi, crede PARVM.

Thomas Rudomina.

ALIBI LOQVOR.

Vix Othomanigenâ succisum falce cadauer,
Fraterna, in Patrios, cura reduxit, agros.
Parua salutatum, concurrit turba Nepotum,
Cœperat & bleso quærere multa sono:
Sensit vbi mutum, nec responsare paratum,
In lachrymas sic est, mœsta soluta, cohors.
Heu nos! heu! inquit, Quis Patrue nostra reuisis
Tecta? Vbi Vox, casto, plena lepore manet?
Non sileo, non, inquit, ego. Vox lapsa per auras;
Tota in Valachicis nostra loquela plagis.

Petrus Rudomina.

FATI

FATI.

Inexorabilem necessitatem si contemplari uis hoc MARMOR intuere Viator.

IOANNES RVDOMINA DVSIATSKI

ter quina vitæ tranquillæ emensus lustra mori hic voluit sed nõ potuit

NAM

VIRTVS

Constanti suo cultori

Ob

egregiam in Numen (templis erectis expressam) Pietatem. in prosperis & aduersis Æquanimitatem. in rebus agendis Prudentiam. in summos & infimos æquitatem. æuo perenni duraturum.

Mnemosinon defigit.

PATRIA

quam ille

adolescens, sub Polock, Vla, & Pskow, STEPHANO Rege imperante, Martia dextra protexit. Vir opibus

 auxit.

auxit. Grandæuus maturo consilio direxit.
Tribunitiæ dignitatis æuiternum
Surrigit COLLOSSVM.

SERI NEPOTES

Amoris, obseruantiæ, doloris, desi-derij, lachrymarum, imbre irroratum statuunt saxum.

Deniq;
Probi Amico, Clientes Mecęnati, Omnes Viro Optimo, desideratas Pyramides relinquunt.

SIC ILLE

Occumbens assurgit, moriens viuit, tumulo abditus Orbi proponitur spectandus.

TV

Seu ætate flores, seu vir es, seu Nestoris numeras dies, habes hic quem moribus
& vitæ integritate
adumbres.

VT

VT

VIRVM

Sera posteritas loquatur,

ASTRÆA, PALLAS, ET MARS

adlaborat.

Nihil hic cineri doloso iniuriosa dabit obliuio: perenne entheæ virtutis, Famæ, Gloriæ, exuscitatur

MARMOR.

GEORGIVS

RVDOMINA DVSIATSKI

Numini, Patriæ. Suis, Sibi, vixit.

cuius

Primordia nascentis æui, virtute ardua instruxit

ASTRÆA.

Incrementa florentis ætatis, scientià solidâ imbuit

PALLAS.

Viuacis iuuentę animosũ pectus, fortitudine roborauit

MAVORS.

his ille præsidiis munitus,

Curiæ REGALIS dignissimus DAPIFER insignitus

DVM

D V M

in VALACHIA. (imperij habenas moderante SIGISMVNDO III.) fatalem Ottomanici furoris ensem á iugulo patriæ strenuè amoliri contendit:

D V M.

Scythicis iaculis imperterritum pectus vltro obtrudit, glorosus heros in patenti occumbens campo. collaudante Principe VLADISLAO. approbâte Duce CAROLO CHODKIEWICZ, adstipulante Martia cohorte;

DVLCE ESSE ET DECORVM PRO PATRIA MORI

est attestatus.

hæc dum videt

ASTRÆA, PALLAS, ET MARS,

Suum alumnum

adamante duraturo inaratum viuere volunt.

TV VIATOR

Vt mortali morienti illachryma. vt forti Viro egregiè occumbenti applaude. vt inuicto patriæ propugnatori gloriosè triumphanti aggratulare.

Ioannes Biegański.